Fragmentarium

Cum autem dicitur primo nunc quod eos in celis est karissimi vos debetis scire quod inter omnia opera que possunt fieri in hac presenti vita nullum est opus honorabilius simul nullum leuius nullum dulcius quam orare deum. Honorabilius est quia vos scitis quod magnus honor est cum homo pauper loquitur frequenter et familiariter cum rege terreno. Et tunc multo maior honor nobis est loqui frequenter et familiariter cum rege celesti et eterno. respectu cuius nos omnes sumus pauperes et mendici quia ad horam non possumus viuere sine elemosina eius. Quia de eius elemosina viuit et sustentatur omnis creatura. Ipse enim est rex regum et dominus dominantium. Ita in respectu eius maiestatis omnes reges et principes huius mundi non sunt nisi terra pulvis et cinis. Vnde recognoscebat ille magnus patriarcha abraham qui volens loqui cum domino dicebat Loquar ad dominum meum cum sim pulvis et cinis. Magnus ergo honor est seruo vili et corrupto loqui familiariter et crebro cum tanto domino. id est cum deo omnipotenti cum quo rege excellentissimo loquimur nos familiariter et secrete quotiens ipsum oramus humiliter et deuote. Et si frequenter oramus frequenter cum ipso loquimur. Nam sicut tangitur in vita beati francisci in oratione nos amplectimur christum. tamquam patrem alloquimur tamquam fratrem supplicamus tamquam iudici gratias agimus tamquam redemptori. Sic moyses sic aaron sic abraham sic ysaac sic iacob sic ysaias sic daniel sic patriarche sic prophete frequenter cum domino sunt locuti. Et hoc est quod dicit ysidorus in libro de summo bono sic. Qui vult frequenter cum deo esse frequenter oret et legat. Nam cum oramus cum deo loquimur. cum vero legimus deus nobiscum loquitur. Sic ergo patet quod non est opus honorabilius quam orare deum. Quod autem orando loquimur cum deo patet per sapientem qui dicit de viro iusto In conspectu altissimi deprecabitur. aperiet os suum in oratione et pro delictis suis deprecabitur. Secundo dico quod non est opus leuius. Quia alia opera potest impedire senectus. loci aut temporis aut debilitas vel infirmitas corporis aut defectus metalli vel materie competentis. Sed in omni loco et omni tempore potest homo deum orare. nec ad hoc opus faciendum necesse est homini aliquid extra se querere. quod patet sic. Sicut dicunt sancti et doctores duobus modis oramus. scilicet loquendo et meditando. siue oratione vocali et mentali. Quilibet autem potest loqui. et si non potest loqui saltem potest desiderare et meditari. Bonum autem desiderium et bona meditatio est optima oratio. et illa que placet plus deo. et maxime que procedit de corde humili et contrito. secundum illud quod dicitur in psalmo Desiderium pauperum exaudiuit dominus. Pauperum. id est humilium. Sic enim exponit beatus augustinus illud euangelium matthei. Beati pauperes spiritu id est humiles et timentes deum. non habentes inflatum spiritum. horum pauperum desiderium exaudit dominus. Quia sicut dicit psalmus sacrificium deo spiritus contribulatus. cor contritum et humiliatum deus non despicies. Iste alius psalmus Respexit in orationem humilium et non spreuit preces eorum. Vel pauperes hoc loco sunt qui omnino sunt impotentes et lingua et manu et toto corpore id est qui nec possunt loqui nec aliud facere. Et tamen tales pauperes possunt adhuc desiderando orare et deus paratus est orationem desiderii eorum exaudire si sint coram deo pauperes id est humiles corde et paruo reputantes se. Et propter hoc dicitur bene dicit propheta in psalmo. Desiderium pauperum exaudiuit dominus. Et non quod dicit desiderium labiorum sed cordis. Non dicit verbum labiorum. Et in hoc ostendit orationem mentalem plus esse appetendam quam vocalem. quia oratio vocalis sine mentali parum prodest. mentalis vero etiam sine vocali vtilis est. De illis enim qui orant ore et non corde conqueritur dominus dicens per ysaiam. Populus hic labiis me honorat. cor autem eorum longe est a me. Iste quidam versificator dicit super hoc verbum ita inquiens. Non vox sed votum non musica cordula sed cor non clamor sed amor

License: public_domain – Antwerpen, Erfgoedbibliotheek Hendrik Conscience, B 28712:4, fol. 1r – Remigius Florentinus, <i>Tractatus de misericordia</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-g107/9386/69199)